



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia III. Amorum insidiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Hic pluit Eois intexta monilia gemmis,
 Ast alibi mortis tela Cupido serit.
 Forsitan his vrit iam Magdalin ille sagittis,
 Forsitan auratâ compede dulcè rapit:
 Ignaramque doli cæcis, heu! occupat armis
 Sons Amor, & fonti natus Amore furor.
 Et certè myrti passim insidiantè sub vmbra,
 Ceu scopus his iaculis obuius, illa sedet.
 Cypris enim diro iucunda pericula ludo
 Ludere docta, nocens vulnera mille serit:
 Igneaque vrendis defigit tela medullis,
 Sed quibus vda mero cuspis, & vncta fauo est.
 Seu potius dulci mors armat acerba veneno,
 Vnde rapit præcep error, & ardor edit.
 Sic propior propiorque nigro defidit Auerno,
 Cui flammât teneras Cypris arundo fibras.

ELEGIA III.

Amorum insidia.

PROPTER aquæ riuum myrti frondente
 teatro,
 Dum sedet arcani nescia Nympha doli,
 Et speculi mimo meditatur in æquore vultum,
 Arridet nitidâ fronte polita Charis.
 Hac inter tremulis chorus ales oberrat in alis,
 Alternâque redux fraude recurfat Amor:
 Et micat articulis, trepidâque loquaciâ carpit
 Fila manu, & surdas erudit arte lyras.
 Tale Si non infidus Amor dat ab arbore signum,
 Et piceâ è taxo flammât, agitque facem.
 Quin etiam aëriâ mors ardua de cyparisso

Into-

Intonat horrificas ad sua tela faces.
 Septenas ramosa vias vbi compita scindunt,
 Hac & septenas mors iubet ire feras.
 Effera turba truci circum bacchata tumultu,
 Heu! malè securum cingit vbique latus.
 Hinc sæui ira lupi, premit inde draconis hiatus,
 Hinc pardi rabies, tigridis inde furor:
 Omnigenumq; vlulat circum horrida sæcla ferarū,
 Quas parit è Stygio Cypris oborta lacu,
 Cocytusque nigrans pascit liuente veneno,
 Aut piceo nutrit torua Mægæra sinu.
 Quidquid & incesto sibi mundus adulter ab Orco
 Parturit, exacuit dente vel vngue minas.
 Hic scelus omne, timorq;, dolorq;, necisq; libido,
 Et furor, & cæco nata furore lues.
 Quin etiam locus infidiis cæcisque periclis
 Opportunus: obit fraus malè fida nemus.
 Ecce, leui spargunt nebulâ caua retia myrtum,
 Quæ textit tereti Cypria lena comâ.
 Quot tenues animas filo capit aucupe nubes
 Textilis, & cæcis implicat illa dolis!
 Nec satis hoc: laqueos pedibus subtexit auaros:
 Rete caput, fallunt vincla dolosa pedes.
 Quis locus effugio est, Cælum si militat Orco,
 Et parat aëniis Styx fera bella plagis?

ELEGIA IV.

*Prosopopœia Timoris diuini, arcen-
 tis Cupidinem.*

MILLE per ambages quacumq; volubilis error
 Merapit incertum, deuia regna sequor.

A 6

Sed